

regula jubet, hoc ita fieri, ubi dicit *supplicatio litaniae*. Cum enim dicit *supplicatio litaniae*, datur intelligi, quatenus dicendo *Kyrie eleison* genuflectere debeant, et sic finiri unumquodque officium dicendo orationem dominicam seu et capitula, quae instituta fuerint, atque sacerdotis orationem, quam debet post celebratum officium complendo dicere.

Cap.

XXI.

DE DECANIS MONASTERII.

Jam quia B. Benedictus dixerat de officiis divinis, et dixit de reverentia orationis, nunc novo ordine aggreditur, cum de decanis monasterii disponit. Dicit enim: *De decanis monasterii*. Bene, cum dixit *De decanis*, subjunxit *monasterii*, quia sunt et plebis decani. Ait enim: *Si major congregatio fuerit, eligantur de ipsis fratribus boni testimonii et sanctae conversationis et constituantur decani, qui sollicitudinem gerant super decanias suas*. Decanus enim dicitur ille, qui super decem est, eo quod a decem dicitur esse decanus. In hoc loco, cum dicuntur *decani*, pluralis numerus esse ostenditur; est enim nominativus casus pluralis, et ideo possunt etiam de duobus dici decani. Ac per hoc cum S. Benedictus dicit *si major congregatio est*, videtur major jam congregatio esse de viginti monachis, quia duo decani super viginti possunt dici, eo quod, sicut jam diximus, decanus a decem dictus est, quanquam major congregatio secundum usum de quadraginta et triginta dicatur. Verumtamen quanquam dicatur decanus, qui super decem est, tamen secundum usum etiam qui super quindecim est, potest dici decanus. Similiter possunt etiam poni super triginta duo decani. Et bene dicit *eligantur*, et non tantum *ponantur*, quia ubi electio est, bonum separatur a malo; deinde quia non qualiscunque debet esse decanus, sed bonus, ideo S. Benedictus dixit *eligantur*, quasi diceret: separati a negligentibus. In eo quod dicit *de ipsis fratribus*, manifestat, quia non debent esse aliunde. Nam quales debeant esse decani, manifestat iterum cum subjunxit *boni*